

PONTIFICIA UNIVERSITAS ANTONIANUM

# STATUTA



ROMAE, 2009





IL MINISTRO GENERALE DELL'ORDINE DEI  
FRATI MINORI

DECRETO

In conformità alla Costituzione Apostolica *Sapientia Christiana*, emanata dal Sommo Pontefice Giovanni Paolo II, in data 15 aprile 1979, per il rinnovamento degli studi ecclesiastici in linea con gli orientamenti indicati dal Concilio Vaticano II, la Pontificia Università *Antonianum* ha proceduto alla revisione dei propri Statuti generali, accogliendo le disposizioni di detta Costituzione Apostolica e le indicazioni delle *Norme Applicative* della Congregazione per l'Educazione Cattolica.

Gli Statuti, approvati dal Senato Accademico nella riunione del 1° dicembre 2007, sono stati approvati dalla Congregazione per l'Educazione Cattolica con il Decreto del 4 ottobre 2008 (Prot. 23/2008).

Essendo state debitamente inserite nel testo le osservazioni espresse da suddetta Congregazione, con il presente Decreto, io Fr. José Rodríguez Carballo, con l'autorità che mi compete in forza dell'Ufficio di Gran Cancelliere della Pontificia Università *Antonianum*, promulgo i nuovi Statuti generali dell'Università, facendo obbligo a chi di dovere di curare la perfetta osservanza: essi entrano in vigore con decorrenza dal 16 aprile 2009, nel ricordo dell'approvazione della nostra *forma vitae* da parte di Papa Innocenzo III.

Dato a Roma, nella Sede della Curia Generalizia,  
l'11 febbraio 2009.

Prot. 099690 (20/09)

Fr. José Rodríguez Carballo, ofm  
*Ministro Generale e Gran Cancelliere*

Fr. Massimo Fusarelli, ofm  
*Segretario Generale*  
*per la Formazione e gli Studi*





CONGREGATIO  
DE INSTITUTIONE CATHOLICA  
(DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS)

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA (DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS) lectis perpensisque **STATUTIS GENERALIBUS PONTIFICIÆ UNIVERSITATIS ANTONIANUM**, ad normam art. 7 Constitutionis Apostolicæ «Sapientia christiana» accurate recognitis, eadem **rata habet atque approbat**; omnibusque ad quos pertinet districte præcipit ut, quæ iisdem definiuntur ac statuuntur, ad effectum fideliter adducant; ceteris servatis de iure servandis.

Datum Romæ, ex ædibus eiusdem Congregationis, die IV mensis Octobris, in festivitate Sancti Francisci, a. D. MMVIII.

Zenon Card. Grocholewski  
PRÆFECTUS

✠ Ioannes Ludovicus Bruguès, OP  
A SECRETIS



STATUTA GENERALIA

TITULUS PRIMUS

DE UNIVERSITATIS NATURA ET FINE

Art. 1 - *Universitatis natura*

1. Fundatum in traditione theologica franciscali, quae a sancto Antonio Patavino docente initium tulit, sicut voluit ipse Seraphicus Pater Franciscus<sup>1</sup>, quaeque in Bononiensi, Parisiensi atque Oxoniensi scholis aliisque floruit, *Antonianum* anno 1883 institutum est in Urbe prout Studium Generale Ordinis Fratrum Minorum et, ob eius ecclesiale propositum, anno 1933 a Papa Pio XI in Athenaeum erectum, anno vero 1938 ab eodem Pontifice "Pontificium" declaratum est. Novissime autem anno 2005 a Summo Pontifice Ioanne Paulo II ad gradum Universitatis Pontificiae evectum est<sup>2</sup>.

2. Qua Pontificia Universitas *Antonianum* nomine Sanctae Sedis suam academicam operam exercet, eiusque moderamini subicitur ad normam legum ab ipsa latarum de universitatibus pontificiis regendis.

3. Qua Studium Generale Ordinis Fratrum Minorum, Pontificia Universitas *Antonianum* responsalitati et curis totius Ordinis commendatur eiusque moderamini subest in eis, quae ad administrationem pertinent, ad normam iuris proprii Ordinis.

4. Cura et moderamen, de quibus in numero praecedenti, exercentur ad normam iuris Ordinis per Ministrum Generalem, qui est Magnus Cancellarius, et per Vicarium Generalem, qui Magni Cancellarii vices gerit.

---

<sup>1</sup> Cf. FRANCISCUS ASSISIENSIS, *Epistula ad Sanctum Antonium*, in IDEM, *Opuscula*, ed. C. Esser, Grottaferrata, 1978, p. 95.

<sup>2</sup> Cf. MINISTER GENERALIS ORDINIS FRATRUM MINORUM, *Epistola encyclica de Generali Ordini Collegio in Urbe instituendo*, in *Acta Ordinis Minorum*, 2 (1883) p. 173-174; IDEM, *Sermo dictus studiis auspicandis in Athenaeo Principe S. Antonii in Urbe*, in *Acta Ordinis Minorum*, 9 (1890) p. 178-185; SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS, *Decretum Antonianum Athenaeum O.F.M. canonice erigitur*, in *Acta Apostolicae Sedis*, 25 (1933) p. 476-477; *Acta Ordinis Fratrum Minorum*, 53 (1934) p. 9-10; IDEM, *Athenaeum Antonianum nomine et titulo "Pontificii" decoratur*, in *Acta Ordinis Minorum*, 7 (1938) p. 233; IDEM, *Approbatio Statutorum Pontificii Athenaei Antoniani*, in *Acta Ordinis Minorum*, 58 (1939) p. 71-72; IDEM, *Il PAA diventa Università Pontificia*, in *Acta Ordinis Fratrum Minorum*, 124 (2005) p. 41.

## Art. 2 - *Universitatis Patronus*

Ratione propriae indolis, inde ab origine *Antonianum* sanctum Antonium Patavinum, Evangelicum Ecclesiae Doctorem, prout suum Patronum habet eiusque missionem prosequi et honorare intendit.

## Art. 3 - *Universitatis fines*

1. Pontificia Universitas *Antonianum* integre sumpta Sedes est academica internationalis indolis, quod per aptam investigationis, docentiae evulgationisque compositionem Ordini Ecclesiaeque toti necnon hominum societati servire satagit. Sub respectu proinde academico hos fines, ad quos omnia - ordinatio ac structura, programmata et curricula, studiorum rationes ceteraque incepta - aptari debent, prosequi intendit:

a) scientifice de christiana Revelatione iisque connexis inquirere; fidei veritates ordinate componere; sub earum lumine problemata nostra aetate exurgentia conspicere easque aptiori modo culturae hominum vel populorum offerre; in omnibus magni faciendo franciscane theologiae, spiritualitatis, iuris, philosophiae ac historiae patrimonium<sup>3</sup>, ita ut «mundi necessitas adimpleatur circa salvificam spem per testimonium vitae, quod a sancto Francisco procedit»<sup>4</sup>;

b) studentes rite instruere in investigatione scientifica “specialistica” apte peragenda atque in disciplinis propriis opportune tradendis; accommodatam formationem sedulo promovere, pro his praesertim, qui ad franciscanum spiritum eiusque traditionem sese gerere cupiunt<sup>5</sup>;

c) Ecclesiae universali et Ecclesiis particularibus operam impigre praestare in evangelizationis munere persolvendo, arctam cum Hierarchia communionem servando atque propriae indoli ac traditioni fideliter inhaerendo<sup>6</sup>;

d) dialogum cum variis nostri temporis culturis promovere, modo spiritui franciscano conformi<sup>7</sup>.

---

<sup>3</sup> Cf. IOANNES PAULUS PP. II, Constitutio apostolica *Sapientia christiana* de studiorum Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis, art. 3, 1; *De Capitulo Generali Ordinis 1985*, in *Acta Ordinis Fratrum Minorum*, 104 (1985) p. 191-283.

<sup>4</sup> IOANNES PAULUS PP. II, *Ad academicas auctoritates professores et alumnos Pontificii Athenaei Antoniani, in eiusdem aedibus coram admissos*, in *Acta Apostolicae Sedis*, 74 (1982) p. 425-431.

<sup>5</sup> Cf. IOANNES PAULUS PP. II, Constitutio apostolica *Sapientia christiana* de studiorum Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis, art. 3, 2.

<sup>6</sup> Cf. ibidem, art. 3, 3.

<sup>7</sup> Cf. *De Capitulo Generali Ordinis 1985*, in *Acta Ordinis Fratrum Minorum*, 104 (1985) p. 191-283.



2. Fines sibi proprios Pontificia Universitas *Antonianum* persequitur cooperatione inter Facultates necnon Instituta, fovendo interdisciplinarem rationem atque collaborationem cum aliis Universitatibus praesertim Pontificiis, propria tamen identitate omnino servata.

3. Hac ratione Pontificia Universitas *Antonianum* intendit sua munera academica cuicumque offerre, quippe quae universali valore gaudent in iis, quae indolem peculiariter franciscalem sapiunt; speciatim quibuslibet assellis Familiae Franciscalis, ad profundiozem systematicam cognitionem propriae vocationis et missionis iuxta franciscalem spiritum et doctrinam.

#### Art. 4 - *Universitatis structura academica*

1. Pontificia Universitas *Antonianum* Facultates complectitur Scientiarum Biblicarum et Archaeologiae, Theologiae, Iuris Canonici et Philosophiae, gradus conferentes Baccalaureatus, Licentiae et Doctoratus.

2. Singulae Facultates peculiare Specializationes colere valent. Iudicium et decisio de institutione, actuositate, suspensione vel mutatione Specializationum ad Senatum Academicum pertinent, Facultatis cuius interest consilio prius audito, servatis de iure servandis.

3. Tamquam ordinariae institutiones habentur: specializationes in Theologia Biblica, in Theologia Fundamentali, in Theologia Dogmatica, in Theologia Morali, in Spiritualitate, in Scientiis de Evangelizatione, in Studiis Oecumenicis, in Historia Ecclesiastica et Franciscali.

4. Qua institutiones nominatim a S. Sede erectae et peculiaribus Statutis praeditae habentur: Hierosolymis, Facultas Scientiarum Biblicarum et Archaeologiae; Romae, Institutum Franciscanum Spiritualitatis et Institutum Superius de Scientiis Religiosis "Redemptor Homini", Venetiis, Institutum Studiorum Oecumenicorum "Sancti Bernardini"; Murciae in Hispania, Institutum Theologicum Franciscanum.

5. Insuper cum natura v.d. "interdipartimentali" in Universitate exstat: Schola Superior Studiorum Mediaevalium ac Franciscalium.

6. Universitas alias institutiones scientificas vel Sedes Studiorum vario modo affiliare, aggregare vel incorporare valet, servatis respectivis de iure servandis normis<sup>8</sup>.

---

<sup>8</sup> Actu diversimode cum Athenaeo connectuntur: Commissio "Sinica Franciscana", Pontificia Academia Mariana Internationalis, et plura Studia Theologica et Philosophica affiliata, prout annuatim in calendario Athenaei recensentur.

7. Fas est Universitati conventiones de collaboratione inire cum aliis academicis institutis.

*Art. 5 - Universitatis regimen*

1. Pontificia Universitas *Antonianum* academice regitur iure canonico, specie normis in re academica a Sancta Sede promulgatis, propriis a Sancta Sede approbatis Statutis necnon ab ipsa Universitate editis Ordinationibus.

2. Administrative vero regitur ab Ordine Fratrum Minorum ad normam eiusdem iuris proprii.

TITULUS SECUNDUS  
DE COMMUNITATE ACADEMICA EIUSQUE REGIMINE

*Art. 6 - Communitas academica*

Professores, studentes, officiales et administri, insimul cum omnibus Universitatis auctoritatibus, communitatem academicam efformant; pro sua quisque condicione, corresponsales boni communis sunt, atque ad fines Universitatis proprios assequendos operam suam sedulo praestant, spectatis propriis iuribus et officiis.

*Art. 7 - Auctoritates Universitatis*

Pontificia Universitas *Antonianum* a Magno Cancellario et ab auctoritatibus academicis regitur, pro cuicumque competentiis iure tributis.

*Art. 8 - Magnus Cancellarius*

1. Universitatis Magnus Cancellarius est Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum. Ipsi speciatim competit:

- a) Sanctam Sedem apud Universitatem repraesentare, et viceversa; item Ecclesiae doctrinam ac disciplinam tueri;
- b) Professores nominare et quaelibet necessaria Universitati procurare necnon eius vitalitatem promovere;
- c) designationi candidatorum ad munus Rectoris praeesse, eosque ad normam art. 10, 1, Sanctae Sedi pro nominatione praesentare;
- d) novi Rectoris professionem fidei recipere; Vice-Rectorem nominare;
- e) Statuta Universitatis tueri necnon graviore attributionis et competentiae conflictus componere;
- f) inter omnia communitatis academicae membra unionem fovere;
- g) deliberata Senatus Academici in rebus maioris momenti confirmare;
- h) professores ordinarios vel extraordinarios, "nihil obstat" a Sancta Sede obtento, nominare, eisque ad normam Statutorum missionem canonicam docendi conferre vel auferre;
- i) relationem triennem de re academica, morali et oeconomica Congregationi pro Institutione Catholica remittere.
- j) Opera uti commissionum ab ipso nominatarum.

2. Magnus Cancellarius, tempore quo academicae designationes habent, Universitatem canonicè visitet per se vel per suum delegatum, qui delegatus coadiuvare poterit ab uno vel pluribus peritis a Magno Cancellario

designatis. Insuper saepe Universitatem fraterne visitet ad spiritum franciscalem roborandum et operam academicam fovendam.

3. Visitor delegatus, de re academica peritus et a Magno Cancellario constitutus, communitatem academicam secundum Statuta et indicationes Magni Cancellarii canonice visitat. Cura ei erit personarum condiciones cognoscere, incepta examinare, operam fovere et praesertim spiritum franciscalem, indolem academicam et assecutionem Universitatis finium promoveri. Insuper eius erit de eligendis ad officia academica prudenter et caute investigare et Magno Cancellario referre.

4. Magnus Cancellarius absens vel impeditus a Vice-Magno Cancellario substituitur, qui de iure est Vicarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum, dummodo a Magno Cancellario aliter non statuatur.

#### *Art. 9 - Auctoritates academicae*

1. Auctoritates academicae sunt personales et collegiales:

a) personales: Rector Universitatis, Decani Facultatum et Universitatis Institutorum Praesides eorumque vices gerentes;

b) collegiales: Senatus Academicus, Consilium Plenarium Universitatis, Consilia Facultatum itemque Universitatis Institutorum.

2. Auctoritates academicae personales eadem periodo ad triennium nominantur; et pro eodem munere ad alterum triennium immediatum semel tantum nominari possunt. Auctoritates, quae extra tempus nominantur, ad explendum triennium intelleguntur et legi vacationis non subsunt.

3. Quoad auctoritates collegiales, statuitur prout sequitur:

a) Qui iure sunt Consiliarii, vacationis legi minime subsunt;

b) Consiliarii delegati, tam professorum quam studentium, unoquoque anno academico ineunte eliguntur.

#### *Art. 10 - Rector Universitatis*

1. Ad Rectoris munus quinque candidati de professoribus ordinariis et extraordinariis per schedas secretas designantur a membris Consiliorum Facultatum Praesidibusque Universitatis Institutorum, necnon a Secretario Generali, a Directore Bibliothecae et Oeonomo Universitatis, secundum normas in Ordinationibus datas. Magni Cancellarii est tres candidatos ex quinque designatis seligere, et Sanctae Sedi pro nominatione praesentare.

2. Ad Rectorem speciatim pertinet: totam communitatis academicae navitatem dirigere, promovere ac coordinare; sedis academicae curam apte gerere; Universitatis ordinariam repraesentationem gerere; Senatum Acade-

micum necnon alia Consilia, si casus ferat, convocare eisque ad normam Statutorum praesidere; administrationi prospicere; ad Magnum Cancellarium de rebus gravioribus referre; ad Congregationem pro Institutione Catholica quotannis summarium statisticum mittere.

3. Rector in explendo suo munere adiuvatur a Vice-Rectore et a proprio Consilio. Hoc Consilium constituitur a Vice-Rectore, Decanis praesentibus et Secretario Generali, quod tamen Consilium potestate executiva gaudet, nisi in eis quae Senatus Academicus eidem cum potestate deliberativa commiserit.

#### Art. 11 - *Vice-Rector*

Magni Cancellarii est, consilio a Rectore exposito, Vice-Rectorem inter professores stabiles delectum nominare, qui Rectorem in iis quae ad studia et disciplinam pertinent, adiuvet eumque absentem vel impeditum substituat.

#### Art. 12 - *Senatus Academicus*

1. Senatum Academicum constituunt:

a) Rector, Vice-Rector, Decani Facultatum necnon Praesides Institutorum;

b) singuli professores stabiles pro unaquaque Facultate quotannis electi a professoribus qui iure non sunt membra Senatus;

c) unus professor adiunctus quotannis ab omnibus professoribus adiunctis Universitatis electus;

d) unus professor deputatus (italice "incaricato") quotannis ab omnibus professoribus deputatis electus;

e) unus delegatus quotannis a Praefectis Studiorum affiliatorum electus;

f) quattuor delegati studentium, singuli pro singulis Facultatibus, ad normam art. 30, 4 electi;

g) Secretarius Generalis adest Senatus Academici sessionibus qua actuaris et cum voto consultivo.

2. Compositio Senatus subsistit, usquedum nova compositio habeatur.

3. Senatus, cui praest Rector Universitatis, quotannis ter saltem congregatur et, si ratio suadeat, saepius, de iudicio sive Rectoris sive tertiae partis Senatus.

4. Senatus Academicus decernit principaliora negotia, quae totam Universitatem et mutuam Facultatum et Institutorum cooperationem respiciunt. Peculiariter autem ad ipsum pertinet:

a) directiones generales Universitatis et Facultatum statuere, quoad aspectum scientificum, didacticum, editorialem et pastoraalem;

- b) ratam habere rationem studiorum a singulis Facultatum Consiliis paratam et approbatam;
- c) problemata maioris momenti circa Specializationes existentes vel instaurandas solvere, ad normam art. 4, 2, audito Consilio Facultatis;
- d) de professoribus promovendis deliberare atque votum ferre, ad normam art. 22, 3;
- e) Commissionem Disciplinae, pro controversiis gravioris momenti forte occurrentibus solvendis, ad triennium nominare et alias quoque commissiones, pro opportunitate, instituere; de earum etiam conclusionibus deliberare;
- f) de rebus oeconomicis academicis deliberare, praesertim rationem praesumptam accepti et expensi, item rationum expensarum redditionem, a Consilio Oeconomico subiectam, approbare; atque Consilium Oeconomicum ad triennium designare, iuxta art. 32, 4;
- g) examinare ut per Magnum Cancellarium Congregationi pro Institutione Catholica proponatur affiliatio, aggregatio, incorporatio vel associatio cuiuslibet ex Institutis, de quibus in art. 4, 6, ad normam iuris;
- h) Statuta Universitatis interpretari; eorum mutationes, a Sancta Sede approbandas, Magno Cancellario proponere;
- i) Ordinationes, sive generales Universitatis sive peculiare Facultatum, condere.

### *Art. 13 - Consilium Plenarium*

Consilium Plenarium, de quo in art. 9, a Consiliis Facultatum insimul congregatis, additis Secretario Generali, Directore Bibliothecae et Oecono Universitatis, constituitur. Id a Rectore convocatur, et quoties Senatus Academicus opportunum iudicaverit.

### *Art. 14 - Regimen Facultatum*

1. Suum quaeque Facultas habet Decanum et Vice-Decanum, qui e professoribus ordinariis et extraordinariis, praesidente Rectore, a Consilio Facultatis per secreta suffragia designantur quique ab eodem Rectore nominantur.

2. Unaquaeque Facultas regitur a Decano et a proprio Consilio, quod constat: Decano, Vice-Decano, Secretario, omnibus professoribus ordinariis et extraordinariis, duobus delegatis ex professoribus adiunctis, uno delegato ex professoribus deputatis et singulis studentibus delegatis pro unoquoque cyclo Facultatis. Participatio studentium in discussionibus Consilii Facultatis regitur ad normam Ordinationum. Secretarius e gremio professorum Consilii ad triennium eligitur.

3. *Facultas Scientiarum Biblicarum et Archeologiae* regitur a Decano et a proprio Consilio iuxta Statuta peculiariora.

#### Art. 15 - *Decanus et Vice-Decanus Facultatum*

1. Ad Decanum pertinet: navitatem Facultatis promovere et coordinare, eiusque necessitatibus pro sua rata parte tempestive providere; Consilium Facultatis convocare eique praeesse; studentes, nomine Rectoris, ad respectivam Universitatis Facultatem admittere vel excludere, ad normam Statutorum; exsequenda curare, quae ab Auctoritatibus Superioribus statuta sunt; ad Rectorem referre quae a Facultate aguntur vel proponuntur.

2. Munus Vice-Decani Facultatis est Decanum adjuvare eumque absentem vel impeditum substituere.

#### Art. 16 - *Consilia Facultatum*

1. Consilii Facultatis est:

a) quaestiones ad ipsam Facultatem pertinentes tractare et de earum solutione decernere; programmata studiorum pro singulis annis academicis ita determinare ut, collatis viribus, unitas organica omnium disciplinarum efficiatur; de professoribus proponendis vel promovendis deliberare et votum ferre; argumenta dissertationum ad Doctoratum approbare; operam scientificam, praesertim congressus ac symposia necnon communicationes cum aliis Facultatibus, curare; de instrumentis didacticis, praesertim de Bibliotheca, agere; mutationes in Ordinationibus ad proprium ambitum spectantes definire et Senatui Academico approbandas proponere; commissiones ad fines speciales prosequendos constituere;

b) professorum necnon studentium recursus recipere et de iis videre, pro sua spectata competentia; in controversiis de opera academica deliberare, necnon de sanctionibus disciplinaribus studentium iudicium ferre.

2. Urgentiae vel necessitatis causa, Decano fas est proprio Consilio uti, quod constituunt Decanus ipse, Vice-Decanus et Secretarius Consilii Facultatis.

#### Art. 17 - *De iis quae ad sessiones pertinent*

1. Quorum est quoslibet coetus convocare, tertio saltem die antequam sessio habeatur, rerum agendarum ordinem (ordine del giorno) apte praedispositum, iis qui convocandi sunt, transmittant. In casibus autem urgentioribus, convocatio pridie fieri potest.

2. Legitime convocati officium habent participandi sessionem. Cum tamen de negotio ad se ipsum pertinenti agitur, unusquisque abesse tenetur, salvo iure propriae defensionis.

3. Ordo rerum agendarum componi debet ex iis quae proposita sunt ab habentibus ius convocationem coetus exigendi.

#### *Art. 18 - De ratione suffragium ferendi*

1. Cum de electionibus agitur vel de causis quae ad singulas personas attinent, suffragia secreto ferantur; et hoc quidem cum ab aliquo ius suffragium habenti requiritur.

2. Quod autem attinent ad rationem procedendi coetus, ad suffragiorum computationem et ad deliberationum validitatem, servantur normae iuris canonici generales.



TITULUS TERTIUS  
DE UNIVERSITATIS DOCENTIBUS

Art. 19 - *Docentium ordines*

1. Universitatis professores distinguuntur in stabiles et non-stabiles. Professores stabiles habentur ordinarii et extraordinarii; professores non-stabiles habentur adiuncti, deputati et invitati. Haberi possunt etiam assistentes.

2. Professores ordinarii sunt, qui pleno ac firmo iure in corpus docentium uniuscuiusque Facultatis cooptantur; proxime accedunt extraordinarii. Adiuncti aestimantur, qui ad munus docendi in Facultate pleno tempore pro triennio ea intentione recipiuntur, ut tamquam stabiles promoveri possint, quando condiciones ad hoc requisitas adimpleant.

3. Deputati sunt, qui requisitis praediti qualitatibus ad respectivam quod attinet disciplinam, ordinarie ad triennium etiam pluries iterabile vocantur quo unum vel plures lectionum cursus tradant.

4. Invitati sunt, qui, peculiari peritia praediti, pro singulis annis advocantur ad quoddam vel varia lectionum curricula absolvenda.

5. Assistentes considerantur, qui, saltem gradum Licentiae consecuti, singulis vicibus munus docendi recipiunt in auxilium alicuius Professoris stabilis vel cuiusdam studentium coetus.

Art. 20 - *Condiciones ad nominationem*

1. Omnes cuiusvis generis docentes vitae probitate, doctrinae integritate ac muneris diligentia iugiter praediti sint ut ad finem Universitatis Ecclesiae propriae efficaciter conferre valeant<sup>9</sup>.

2. Ad nominationem Professoris adiuncti ad determinatam cathedram requiritur, ut doctrinae copia et congruenti Doctoratu secundum disciplinam, quam docere debet, vel aequipollenti titulo, praeditus sit, atque vitae testimonio et responsalitate sensu perspectis, certis documentis ad investigationem scientificam idoneum se praebuerit ac paedagogicam habilitatem ad docendum demonstraverit. Si de disciplina sacra agitur vel cum ea connexa, oportet, ut Doctoratus sit gradus canonicus; si Doctoratus non sit canonicus, ordinarie requiritur saltem Licentia canonica<sup>10</sup>.

---

<sup>9</sup> Cf. IOANNES PAULUS PP. II, Constitutio apostolica *Sapientia christiana* de studiorum Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis, art. 26, 1.

<sup>10</sup> Cf. CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA, *Ordinationes*, art. 17.

3. Ad nominationem Professoris extraordinarii requiritur, ut per tres saltem annos ut adiunctus in hac vel in alia Universitate vel in aliqua Facultate valide docuerit, investigationes scientificas peregerit et scripta scientifica eius competentiam comprobantia de rebus ad propriam disciplinam respicientibus publici iuris fecerit, spiritum cooperationis et Facultati se devovendi studium demonstraverit.

4. Ad nominationem Professoris ordinarii requiritur, ut per tres saltem annos ut extraordinarius in hac Universitate vel in aliqua Universitate vel Facultate valide docuerit atque in investigatione scientifica naviter ulterius adlaboraverit et alia scientifica ediderit scripta, quibus studium investigationis et propriam competentiam ulterius ostenderit.

5. Si requisita de quibus in paragrapho 2 non adimpleantur, triennio expleto, de Professoris adiuncti “mandato ad docendum” a Magno Cancellario iterum diiudicandum est.

#### *Art. 21 - Criteria peculiaris ad nominationem*

Ob peculiarem indolem Pontificiae Universitatis *Antonianum*, requiritur insuper ut in nominandis docentibus sequentia criteria attendantur:

a) Ut Universitatis internationalitas semper salva sit, docentes ex diversitate nationum exquirantur, ratione quoque habita de differentibus areis culturalibus et linguisticis;

b) Ut pluralitas in communione fraterna et fraternitas in pluralitate clarius eluceat, expedit ut docentes adducantur ex universa Familia Franciscalli, ita ut Universitas magis magisque reali interfranciscali actione procedat.

c) Quo peculiaribus, quae forte adsint, docentiae necessitatibus provideatur, opportune pendatur docentis capacitas lectiones variis linguis tradendi.

#### *Art. 22 - Cooptatio, nominatio et promotio*

1. Assistentes, invitati et deputati, audito Consilio Decani, a Decano praesentantur et a Rectore nominantur.

2. Professores adiuncti nominantur a Magno Cancellario proponente Rectore ad instantiam Consilii Facultatis, servatis ceteris de iure servandis.

3. Professores extraordinarii a Magno Cancellario nominantur, de consensu Consilii Facultatis necnon Senatus Academici per secreta suffragia manifestato, praehabita a Sancta Sede declaratione nihil ob stare.

4. Professores ordinarii a Magno Cancellario nominantur, de consensu Consilii Facultatis necnon Senatus Academici per secreta suffragia manifestato.

5. Condiciones, de quibus in artt. 20 et 21, per Commissionem Peritorum (vulgo “di valutazione” dictam), iuxta normas Ordinationum a Rectore constitutam, comprobari debent.

6. Professores omnes, antequam munus suscipiant, missionem canonicam aut licentiam docendi a Magno Cancellario vel ab eius delegato recipere debent. Docentes vero disciplinam ad fidem vel mores spectantem, missionem canonicam obtinere non valent, nisi professione fidei prius peracta<sup>11</sup>.

7. Consilia Facultatum semel saltem in anno cuidam aestimationi submittant Professorum adiunctorum et extraordinariorum merita, intuitu eorundem promotionis, iuxta art. 16, 1, a.

### Art. 23 - *Officia et iura docentium*

1. Docentes, acceptatione muneris, onus suscipiunt sese in omnibus gerendi iuxta Universitatis Statuta et Ordinationes, propriis spectatis iuribus et officiis.

2. Docentes stabiles, cum in Universitatis vita prorsus corresponsales esse debeant, ut suo muneri pleno tempore et iure satisfacere possint, liberi sint oportet ab operis vel muneribus, quae cum officio investigandi et docendi componi nequeunt;

3. Nemo potest in duabus Facultatibus eiusdem vel diversae speciei simul esse docens stabilis, sive in nostra sive in alia Sede Academica.

4. Excepto vacationis tempore, professores stabiles et adiuncti plene disponibles esse debent, ut requisitas praelectiones tradant, examina adstant, seminaria et dissertationes dirigant, editionibus aliisque communibus Universitatis inceptis actuosam operam praestent, et legitimis studentium necessitatibus respondeant, iuxta determinationes in Ordinationibus Universitatis statutas. De huiusmodi disponibilitate in conventionem cum singulis professoribus ineunda accurate caveatur.

5. Quo efficacior etiam interdisciplinaria scientiarum promotio habeatur, singuli docentes aptam et validam alacritatem ostendant ad cooperationem cum omnibus professoribus.

6. Professoribus omnibus praesto sint media necessaria ad cuncta sua officia rite obeunda, et pro professoribus stabilibus in conventionem apte provideatur de eorum vitae necessitatibus.

---

<sup>11</sup> Cf. IOANNES PAULUS PP. II, Constitutio apostolica *Sapientia christiana* de studiorum Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis, art. 27, 1.

7. De professorum in proprio munere agendi ratione diiudicare valet Magnus Cancellarius. Decani Facultatis est se certiores reddere apud studentes de utilitate et profectu circa singulos lectionum cursus.

8. Professorum officium et ius est pervestigationes scientificas in periodico "Antonianum" et in seriebus Universitatis publici iuris facere, ad normam Ordinationum.

#### *Art. 24 - Collegia professorum*

1. Omnes Universitatis professores Collegium constituunt, quod a Rectore convocari potest ad quaestiones tractandas, quae ad bonum totius Universitatis communitatis attineant.

2. In singulis Facultatibus potest a Decano conventus convocari omnium professorum, qui de rebus gravioribus ad Facultatem attinentibus mentem suam aperiant, competentibus auctoritatibus subiciendam.

3. Collegii Professorum stabilium, adiunctorum et deputatorum uniuscuiusque Facultatis est programmata et actuositates scientificas, praesertim congressus et symposia, praeparare necnon propositiones de methodo didactica indicare.

#### *Art. 25 - Cessatio a munere*

1. Professores a munere docendi cessant:

- a) cum muneri renuntiaverint;
- b) cum ab officio, ad normam iuris, remoti fuerint;
- c) cum septuagesimum annum compleverint.

2. Docentes stabiles a Magno Cancellario "Emeriti" declarari possunt, audito Senatu Academico, postquam septuagesimum annum compleverint vel si, expleto sexagesimo quinto aetatis anno, officio renuntiaverint, vel si antea officio renuntiaverint postquam saltem per quindecim annos munus docendi in Universitate exercuerint, vel in aliis particularibus adiunctis.

3. Docentes, qui ratione renuntiationis vel aetatis a munere docendi cessaverint, ad peculiare lectionum cursus tradendos, si Facultatis Consilio opportunum videatur, invitari possunt.

4. Docentes cuiuscumque gradus a Magno Cancellario, audito Rectore eiusque Consilio, a munere docendi exonerari possunt iusta et gravi de causa, praehabitis colloquiis cum respectivo docente necnon servatis conditionibus in conventionem statutis.

5. Docens, qui contra Magisterium Ecclesiae docuerit vel in rebus disciplinariis graviter deliquerit vel in suo munere adimplendo graviter defecerit<sup>12</sup>, a Decano primum et postea a Rectore admoneatur. Quod si non sufficiat, de re in Consilio Facultatis et dein in Commissione Disciplinari agatur. Si opus tandem fuerit, quaestio ad Magnum Cancellarium deferatur, qui cum viris peritis consultationem habeat et oportune provideat, salvo semper iure recurrendi ad Sanctam Sedem et salva semper Docentis facultate causam propriam explicandi et defendendi in singulis gradibus instantiae. Pro gravioribus vel urgentioribus casibus Magnus Cancellarius facultatem habet Docentem ad tempus suspendendi, donec ordinaria procedendi ratio quam primum instituat.

#### *Art. 26 - De impedimento atque ab officio suspensione*

1. Docentes stabiles, qui, legitime impediti, obligationes stabilitatis apte adimplere non valent, ab exercendis iuribus academicis stabilium pro tempore cessant, tamen munere docendi pro sua possibilitate retento.

2. Professores stabiles, qui ad officium in servitium Sanctae Sedis vel proprii Instituti Vitae Consecratae aut Societatis Vitae Apostolicae vel etiam alius sui Ordinarii, cui oboedire tenentur, vocati sint, expleto munere a Magno Cancellario denuo ad docendum vocari possunt in eodem gradu academico, quo prius in Universitate pollebant.

3. De incompatibilitate impediens ab officio et de suspensione ab exercitio iurium, de quibus in praecedenti n. 1, iudicat Magnus Cancellarius, audito Rectore cum suo Consilio.

---

<sup>12</sup> Cf. IOANNES PAULUS PP. II, Constitutio apostolica *Sapientia christiana* de studiorum Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis, art. 26.

TITULUS QUARTUS  
DE STUDENTIBUS

*Art. 27 - Studentium ordines*

1. Pontificiae Universitati *Antonianum* inscribi possunt omnes, qui, legitimo testimonio et qualitatibus requisitis praediti, ad studia superiora ecclesiastica sunt idonei.

2. a) Studentes sunt: ordinarii, extraordinarii et auditores. Ordinarii sunt, qui ad gradus academicos contendunt; extraordinarii, qui lectionum cursus praedefinitos cum iure ad examina accedendi frequentant; auditores, qui aliquem lectionum cursum ad libitum frequentant sine tamen iure ad examina accedendi.

b) His adiungendi sunt studentes extra curriculum (italice “fuori corso”), qui, praelectionibus alicuius cycli iam expletis, adhuc adlaborant ad examina complenda vel ad thesim conficiendam. Eorum iura et officia in Ordinationibus determinantur.

*Art. 28 - Condiciones admissionis*

1. a) Nostrae Universitati inscribi valent, qui studia ac titulum valida pro admissione ad Universitatem civilem in propria Natione adepti fuerint; de quo iidem comprobantia testimonia authentica exhibere tenentur<sup>13</sup>. Qui titulo carent, exhibere tenentur testimonium authenticum de studiis secundariis rite peractis: si testimonium sufficiens iudicetur, candidati inscribi possunt inter studentes extraordinarios per unum alterumve annum; postea autem, si experimentum felicem exitum duxit, inter ordinarios adnumerari valent.

b) Ut quis ad secundum cyclum inscribi valeat, exhibere debet testimonium de felici exitu programmatis totius primi cycli in eadem vel consimili Facultate ecclesiastica. In Facultatibus Theologiae et Philosophiae insuper requiritur testimonium de adepto gradu academico primi cycli. Qui vero studia institutionalia philosophica vel, respective, theologica apud instituta non academica peregit, exhibere tenetur testimonium de studiis peractis: si sufficiens iudicetur, candidati idoneitas ad studia aggredienda in Specializatione, ad quam inscribi petit, collegialiter examinanda est.

c) Si curriculum studiorum ex parte insufficientis sit, praeliminarium lectionum cursum frequentatio determinari debet, ad normam Ordinationum. Insu-

---

<sup>13</sup> Cf. IOANNES PAULUS PP. II, Constitutio apostolica *Sapientia christiana* de studiorum Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis, art. 32, 1; CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA, *Nota*, 30 Maii 1998, Prot. 550/98.

per Consilium Facultatis ius retinet studia aliqua imponendi, illa praesertim, quae peculiari indoli secundi cycli, cui candidatus inscribi petit, inhaerent.

d) Ut quis ad tertium cyclum inscribi valeat, requiritur testimonium de adepto gradu academico secundi cycli. Si curriculum studiorum quadam parte careat, Consilii Facultatis est aliqua studia imponere, quae peculiari indoli cycli, cui candidatus inscribi petit, inhaerent.

e) In Ordinationibus distincte definiantur normae, quae facultatem studia prosequendi, praesertim autem admissionem ad tertium cyclum, respiciunt.

2. Pro inscriptione studentes documenta, quae sequuntur, exhibere debent:

a) attestationem authenticam suae identitatis;

b) titulum de studiis peractis et studiorum curriculum;

c) testimonium de vitae moribus, et quidem: clerici a proprio Ordinario datum; religiosi a Superiore Maiori; laici a competenti auctoritate ecclesiastica. In casibus particularibus testimonium ab ente legaliter agnito recipi poterit;

d) licentiam Vicariatus Urbis, si studentes presbyteri dioecesani extra Instituta Ecclesiastica ad hoc approbata commorantur, una cum litteris commendatiis proprii Ordinarii et declaratione scripta se praelectiones ac seminaria regulariter frequentaturos.

3. Studentes, qui ad gradus academicos contendunt, congruam cognitionem linguae latinae et graecae habere tenentur. Insuper alias linguas modernas, praeter nativam, noscere debent, ad normam Ordinationum; videlicet: ad primum cyclum unam, ad secundum cyclum duas et ad tertium cyclum tres.

#### Art. 29 - *Officia et iura studentium*

1. Inscriptione peracta, simul cum iuribus, ab omnibus studentibus obligatio contrahitur Universitatis Statuta et Ordinationes observandi, necnon cum auctoritatibus academicis cooperandi.

2. Incepto semestre, adscriptiones non admittuntur nisi peculiari de causa et tertia parte semestris nondum transacta.

3. Studentes ordinarii uni tantum Facultati ut ordinarii adscribi possunt, sive in nostra sive in alia Sede academica.

4. Studentes praelectiones ac seminaria frequentare tenentur. Absentia tertiam partem excedens, nisi Consilium Facultatis gravi de causa aliter decernat, pro studente cuius interest eundem lectionum cursum invalidum facit.

### *Art. 30 - De participatione studentium in Consiliis Universitatis*

1. Studentium officium et ius est partes sumere in Consiliis Universitatis ea ratione, ut sua desiderata exponere valeant et actuositatem academicam pro rata parte foveant.

2. Studentes ordinarii unoquoque anno academico ineunte convocantur, ad normam nn. 3 et 4 huius articuli, ut proprios delegatos ad diversa Consilia eligant.

3. Studentes uniuscuiusque cycli, Decano vel Praeside praesidente, proprium ipsorum delegatum ad Consilium Facultatis vel ipsius Instituti eligunt.

4. Studentium delegati uniuscuiusque Facultatis, praesidente Secretario Generali, eligunt proprios delegatos ad Senatum Academicum, unum ex unaquaque Facultate. Item praesidente Secretario Generali, studentium delegati ad Senatum Academicum unum e gremio eligant, qui studentes Universitatis “ad extra” repraesentet.

5. Omnes delegati Coetum studentium constituunt atque inter electos ad Senatum Academicum proprium Moderatorem, Vice-Moderatorem et Secretarium eligunt. Coetus studentium est etiam diversis Consiliis Universitatis propria desiderata exponere et actuositatem academicam fovere, ad normam n. 1 huius articuli.

### *Art. 31 - De suspensione studentium*

1. Si quis studens contra fidem vel mores vel disciplinam Universitatis graviter deliquerit, a Decano Facultatis moneatur. Si admonitio inutilis evaserit, a Rectore suspendatur et res Commissioni disciplinari deferatur. Qua audita, si casus ferat, a Rectore dimittatur.

2. In singulis gradibus instantiae studens facultatem habet sese defendendi et recurrendi, ad normam iuris.



TITULUS QUINTUS  
DE OFFICIALIBUS ET ADMINISTRIS

Art. 32 - *Universitatis officiales*

1. Universitatis officiales proprie dicti sunt: Secretarius Generalis, Director Bibliothecae, Oeconomus Universitatis. Hi omnes, Rectore proponente, a Magno Cancellario nominantur.

2. a) Secretarii Generalis est: documentis authenticis subscribere; congressibus Senatus Academici ex officio interesse eorumque acta redigere; "Kalendarium" et "Ordinem Anni Academici" quotannis componere necnon ea persolvere, quae ad normam Ordinationum ad munus suum sub Rectoris moderamine pertinent.

b) Secretarius Generalis in suo munere explendo a Vice-Secretario coadiuvatur, qui a Rectore nominatur.

3. a) Directoris Bibliothecae, qui sit peritus in re bibliothecaria et insuper in una ex scientiis ecclesiasticis, est eiusdem adaequatae conservationis et renovationis curam habere, ad normam Ordinationum.

b) In munere suo obeundo ab "addictis" adiuvatur. Director, Decani necnon aliqui professores a Senatu Academico designati Consilium Bibliothecae efformant et res ad Bibliothecam spectantes agunt.

c) Director, si opportunum fuerit, a Senatu Academico ad sessiones, pro negotiis Bibliothecae, convocari poterit.

4. a) Oeconomus Universitatis, sub Rectoris moderamine, totam eiusdem administrationem gerit, ad normam Ordinationum.

b) In hoc munere coadiuvatur a Secretario Generali et a tribus professoribus a Senatu Academico designatis, qui insimul Consilium Oeconomicum constituunt. Assentiente vero Rectore, Oeconomus potest vocare, ut sessioni adsistat Consilii Oeconomici, peritum externum, qui consilia praebeat de negotiis Universitatis oeconomicis.

c) Oeconomus a Senatu Academico ad sessiones convocari poterit, quoties de rebus oeconomicis agatur.

5. Insuper adsunt administri, qui peculiari servitio ab Ordinationibus praeviso iuxta Rectoris mandatum praesunt, praehabito consensu Senatus Academici.

TITULUS SEXTUS  
DE STUDIORUM RATIONE

Art. 33 - *De studiorum methodo*

1. Sive in investigando sive in docendo methodus scientifica in singulis Facultatibus et Institutis adhibeatur, postulatis respondens singularum scientiarum propriis, simulque recentes normae didacticae et paedagogicae applicentur.

2. a) Docentes in scientiis ecclesiasticis, secundum methodum propriam disciplinarum, investigandis et tradendis, vera et iusta libertate gaudent<sup>14</sup>.

b) Eodem tempore docentes conscii sint, ut vera libertas in investigando et docendo necessario nitatur firma adhaesione verbo Dei, prout vivo Magisterio Ecclesiae docetur<sup>15</sup>.

3. In investigationibus peragendis et praelectionibus tradendis omnes magni faciant doctrinam a Patribus Doctoribusque Ecclesiae et a praeclaris Magistris traditionis intellectualis christianae, praesertim franciscalis explicatam.

4. In programmatum compositione ita procedatur, ut disciplinae in singulis Facultatibus et Institutis tradendae corpus organicum constituent et solidae ac cohaerenti studentium formationi conferant necnon mutuam docentium cooperationem faciliorem reddant.

5. Cum studentes methodum scientificam discere debeant, ipsis criteria pro investigatione, consultatione et fontium interpretatione praebeantur, quibus in laboribus componendis et redigendis uti possunt.

6. Quo maior cooperatio in investigando et docendo intra ambitum totius Universitatis obtineatur, omnibus curae esse debet nexum inter varias scientiarum disciplinas in lucem ponere et diversimode promovere.

---

<sup>14</sup> Cf. CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM II, Constitutio pastoralis *Gaudium et spes* de Ecclesia in mundo huius temporis, nn. 59 et 62; IOANNES PAULUS PP. II, Constitutio apostolica *Sapientia christiana* de studiorum Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis, art. 39, 1.

<sup>15</sup> Cf. ibidem.

7. Singulae Facultates aliquando collationes ac disceptationes de argumentis selectis et inter se quodammodo coniunctis promoveant eum in finem, ut studentes coniunctionem, quae inter varias disciplinas exstat, addiscant.

#### Art. 34 - *Curriculum studiorum ad gradus*

1. In unaquaque Facultate studiorum curriculum rite ordinetur per tres cyclos, prout sequitur:

a) In primo cyclo generalis institutio studentibus tradatur, in qua conceptus syntheticus principalium disciplinarum et prima initiatio in methodum scientificam praebeantur.

b) In secundo cyclo profundius studium in selecta specializatione disciplinarum instituitur, ac simul usu scientificae investigationis methodi plenius exerceantur studentes.

c) In tertio cyclo illa maturitas scientifica provehatur, quae requiritur ad scientiae profectum vere conferendum, praesertim per dissertationis doctoralis elaborationem. Insuper lectionum cursus speciales, item actiones, requiruntur in Statutis Particularibus singularum Facultatum determinatis.

2. Praeter praelectiones, seminaria habeantur, scilicet investigationes in communi inter studentes et professores peragenda et disputanda, et exercitationes, scilicet investigationes a singulis studentibus sub Professoris ductu elaboranda.

3. Praeter lectionum cursus, qui ad tres cyclos pertinent, in Universitate praebentur etiam alii lectionum cursus academice apti, qui ad Diplomata consequenda vel etiam ad titulum "Magistri" dictum adsequendum ducunt.

4. Ratione habita indolis internationalis Universitatis, Consilia Facultatum conari debent ut diversae linguae adhiberi possint in praelectionibus tradendis et seminariis peragendis.

#### Art. 35 - *De disciplinarum distinctione*

Disciplinae in Universitate tradendae distinguuntur in obligatorias et optionales, prout ab unaquaque Facultate determinantur. Obligatoriae vero sunt principales et auxiliares.

### Art. 36 - *De examinibus*

1. Consilii Facultatis est seligere inter eos a Senatu Academico probatos modos, quibus iudicium feratur de studiorum exitu pro singulis studentibus in ipsa eadem Facultate. Dein iudicium feratur a docente secundum modum quem pro unoquoque lectionum cursu seligerit ex iis a propria Facultate approbatis.

2. Scripta, quae ad examina subeunda inservierunt, per congruum tempus apud Secretariam servantur.

3. Iudicium de seminariis numerice exprimatur, de exercitationibus vero ad normam Ordinationum.

4. Tres habentur examinum sessiones ordinariae: mensibus scilicet Feb-ruario, Iunio et Octobri. Decanus cum suo Consilio potest, in casibus particu-laribus, sessionem extraordinariam, praesertim pro discussione doctoralis dissertationis, determinare, ad normam Ordinationum.

### Art. 37 - *Studiorum alibi peractorum agnitio*

Studia in Universitatibus vel Facultatibus ac Institutis alibi peracta ag-noscuntur ac perpenduntur, intuitu quoque dispensationis vel reductionis programmatis, ad normam Ordinationum.

TITULUS SEPTIMUS  
DE GRADIBUS ACADEMICIS

*Art. 38 - De graduum distinctione*

1. Singulis cyclis expletis, in unaquaque Facultate respectivus gradus academicus candidato confertur, scilicet: Baccalaureatus vel Licentia vel Doctoratus.

a) Baccalaureatus gradu primus cyclus absolvitur, quo titulo studens idoneitatis testimonium acquirit ad studia in Licentiae cyclo ipsius Facultatis prosequenda.

b) Licentiae gradus candidatum idoneum reddit ad docendum in Seminario Maiore vel in Schola aequipollenti, et ad hoc proinde requiritur.

c) Doctoratus est gradus academicus, qui candidatum aptum reddit ad docendum in Facultate, ideoque ad id requiritur.

2. Praeter praedictos gradus academicos, ab Universitate conferuntur etiam qui sequuntur tituli: Diploma, "Magister" (anglice "Master") primi et alterius ordinis necnon "Magisterium" (italice "Magistero").

*Art. 39 - De graduum collatione*

Studentibus, qui rite gradum academicum consecuti sunt, testimonium authenticum redditur a Rectore, Decano et Secretario Generali subscriptum si de Baccalaureatu ac Licentia agitur; et etiam a Magno Cancellario, si de Doctoratu agitur.

*Art. 40 - Condiciones ad gradus*

1. Nemo ad gradum academicum vel ad novum cyclum accedere potest nisi studiorum curriculum praecedens compleverit et respectivae Facultati rite adscriptus fuerit.

2. Ad Baccalaureatus gradum obtinendum, praeter respectivi cycli experimenta et examina superata, requiritur examen comprehensivum vel aequipollens experimentum, quo studens coram commissione comprobet se completam formationem institutionalem et cognitionem methodi scientificae acquisivisse.

3. Gradus Licentiae, praeter respectivi cycli experimenta et examina superata, per praesentationem et valuationem dissertationis scientificae elaboratae, necnon superato examine de thematibus a Consilio Facultatis selectis, ad normam Statutorum Facultatis, obtinetur.

4. Nemo ad Doctoratus cyclum admittitur, nisi antea Licentiam con-  
sectus sit. Ad gradum autem Doctoratus consequendum requiritur, ut can-  
didatus, experimentis et examinibus respectivi cycli superatis, thesim doc-  
toralem, qua vere ad progressum scientiae conferat, sub patroni ductu ac  
duorum correlatorum auxilio exaraverit, publica disceptatione defenderit,  
collegialem eiusdem approbationem obtinuerit et saltem praecipuam partem  
publici iuris fecerit. Huius editionis exemplar mittatur ad Congregationem  
de Institutione Catholica.

Art. 41 - *Doctoratus "honoris causa"*

Doctoratus "honoris causa" illis, qui meritis extraordinariis in re scienti-  
fica vere excellunt, conferri potest, de Senatus Academici deliberatione vel  
consensu, a Magno Cancellario, "nihil obstat" a Sancta Sede prius obtento.

## *Pars II*

### STATUTA PARTICULARIA

#### TITULUS PRIMUS

#### DE FACULTATE THEOLOGIAE

##### *Art. 42 - Finis Facultatis*

1. Facultas Theologiae, methodo scientifica singulis suis Specializationibus propria, hunc finem sibi proponit:

a) doctrinae catholicae, maxima cura e divina Revelatione et ecclesiali traditione haustae, profundiorum intellectum exquirere et systematice enucleare, ita ut, in connexione cum huius temporis scientificis inventis ac culturae progressu atque ratione habita de populorum philosophia ac sapientia, eadem doctrina integre et fideliter indoli cuiuscumque culturae opportune aptetur;

b) studentes ad scientificam in re theologica investigandam rite instruere atque ad varias disciplinas theologicas docendas accurate formare; insuper ministris Ecclesiae et asseclis Familiae Franciscalis operam praestare ad eorum sedulam formationem theologico-pastoralem promovendam;

c) humana problemata, continuo in ambitu ecclesiali, sociali ac culturali hodie exurgentia, attente perpendere ac eorum rectam solutionem quaerere, sub lumine fidei divinae ac doctrinae catholicae.

2. Ad hunc multiplicem finem assequendum Facultas Theologiae magni facit doctrinam a Schola Franciscali elaboratam atque incepta apostolica in decursu temporis a Familia Franciscali assumpta.

##### *Art. 43 - Regimen Facultatis*

1. Facultas Theologiae ad normam art. 14 regitur.

2. Ad Consilium Facultatis iure pertinent etiam Praeses Instituti Franciscani Spiritualitatis atque Praeses Instituti Superioris de Scientiis Religiosis.

3. Consilii Facultatis est, praeter ea, quae in art. 16, 1 determinantur: affiliationem Seminariorum vel Institutorum eiusque renovationem definire; operam scientificam Institutorum, quae aliqua ratione Facultati affiliata, aggregata ac incorporata sint, prosequi et stimulare; propriam academicam responsalitem explere relate ad Institutum de Scientiis Religiosis "Redemptor Hominis".

4. Competentiae, quae propriae sunt Consilii Facultatis ac Decani, si casus ferat, partim delegari possunt ad normam Ordinationum.

#### Art. 44 - *Professorum numerus*

In Facultate Theologiae sint professores stabiles et adiuncti numero congruo.

#### Art. 45 - *Conditiones admissionis*

1. Admissio ad cyclos ad normam artt. 15, 1; 27, 1, et 28 perficitur.

2. Pro studentibus Doctoratum appetentibus in specializatione diversa ab ea quam in Licentia sunt consecuti, studiorum ratio praevideatur personalis indolis, complectens disciplinas fundamentales selectae specializationis. Haec studiorum ratio determinatur a Decano cum suo Consilio.

#### Art. 46 - *Curriculum generale studiorum*

In Facultate Theologiae cursus studiorum ad normam art. 34, 1, per tres cyclos distribuuntur; suo quisque cyclus gradu academico ad normam art. 38 concluditur.

#### Art. 47 - *Ratio studiorum primi cycli*

1. Cursus institutionalis theologicus est studentibus solidam, organicam et generalem institutionem doctrinae catholicae, una cum prima initiatione in methodum scientiae theologiae, tradere.

2. Primus cyclus theologicus tres annos complectitur atque disciplinas principales et auxiliares in re theologica comprehendit.

3. a) Disciplinae theologiae principales sunt: Sacra Scriptura, theologia fundamentalis, theologia dogmatica, theologia moralis et spiritualis, theologia pastoralis, liturgia, historia ecclesiastica, patrologia, theologia oecumenica, theologia franciscalis et ius canonicum.

b) Disciplinae auxiliares sunt: linguae biblicae et lingua latina pro eis qui eandem non callent.

4. Cursus institutionalis theologicus, examine comprehensivo ad normam art. 40, 2 superato, collatione gradus Baccalaureatus concluditur.

5. Facultas Theologiae praeterea annum formationis pastoralis instituit pro clericis, qui curriculum institutionale pro sacerdotio requisitum compleverunt. Pariter, aptum curriculum institui valet pro formatione continua sive clericorum sive religiosorum, qui adaequata formatione praevia pollent.

#### Art. 48 - *Ratio studiorum secundi cycli*

1. Tota studiorum ratio in secundo cyclo theologicam formationem profundius complere intendit, dum studentibus aliquam determinatam Specia-



lizationem praebet in ambitu theologico, peculiari respectu habito ad doctrinam Scholae Franciscalis eiusque momentum et actualitatem.

2. Cyclus Specializationis ad Licentiam duobus annis vel quattuor semestribus perficitur et sequenti modo disciplinas disponit:

a) aliquas omnibus Specializationibus communes prout fundamentales pro superiori theologica formatione, quae determinantur a Consilio Facultatis;

b) alias pro singulis Specializationibus obligatorias;

c) quasdam demum optionales iuxta singulorum studentium selectiones.

3. Curriculum secundi cycli, omnibus requisitis adimpletis et experimentis superatis, ad normam art. 40, 1 et 3 concluditur gradu Licentiae in Theologia cum specializatione, et nempe:

a) in Theologia Biblica;

b) in Theologia Fundamentali;

c) in Theologia Dogmatica;

d) in Theologia Morali;

e) in Spiritualitate;

f) in Scientiis de Evangelizatione;

g) in Studiis Oecumenicis;

h) in Historia Ecclesiastica et Franciscali;

#### Art. 49 - *Ratio studiorum tertii cycli*

1. Cyclus ad Doctoratum saltem per unius anni spatium protrahitur.

2. Consilium Facultatis singulis annis aliquas speciales praelectiones vel seminaria disponit iuxta respectivas Specializationes, ad normam Ordinationum.

3. Omnibus requisitis expletis, Doctoratus in Theologia cum eadem Specializatione respectivae Licentiae confertur.

TITULUS SECUNDUS  
DE FACULTATE IURIS CANONICI

Art. 50 - *Finis Facultatis*

1. Facultatis Iuris Canonici finis est, sub lumine evangelicae Legis, traditionis canonicae Ecclesiae necnon indolis franciscalis:

- a) pervestigationem scientificam et disciplinas canonisticas excolere et provehere;
- b) alumnos ad munus pervestigandi et docendi atque ad officia in Ecclesia et in Familia Franciscali praeparare, necnon formationem iuridicam permanentem promovere;
- c) Ecclesiam et Familiam Franciscalem in rebus iuridicis adiuvaré;
- d) dialogum, in spiritu franciscali, cum variis systematibus iuridicis hodierni temporis provehere.

2. Ad hunc multiplicem finem assequendum Facultas Iuris Canonici magni facit traditionem iuridicam totius Familiae Franciscalis.

Art. 51 - *Regimen Facultatis*

Facultas Iuris Canonici ad normam art. 14 regitur.

Art. 52 - *Professorum numerus*

In Facultate Iuris Canonici sint professores stabiles et adiuncti numero congruo.

Art. 53 - *Condiciones admissionis*

1. Admissio ad cyclos in Facultate Iuris Canonici ad normam artt. 15, 1; 27, 1, et 28 perficitur.
2. Consilii Decani est programma primi cycli aptatum praeparationi singulorum studentium stabilire, ad normam Ordinationum.
3. Qui curriculum philosophico-theologicum in Seminario vel alio Instituto a Congregatione de Institutione Catholica approbato rite absolverit, statim ad secundum cyclum admitti potest<sup>16</sup>. Qui Doctoratum in iure civili consecutus sit, de iudicio Consilii Facultatis, curriculum contrahere potest, firma tamen obligatione omnia requisita examina superandi<sup>17</sup>.

---

<sup>16</sup> Cf. CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA, *Ordinationes*, art. 57, 1.

<sup>17</sup> Cf. *ibidem*, art. 57, 2.

## Art. 54 - *Curriculum studiorum*

1. In Facultate Iuris Canonici cursus studiorum ad normam art. 34, 1 per tres cyclos distribuuntur.

2. Primus cyclus, qui indolem propedeuticam obtinet, per biennii spatium seu per quattuor semestria protrahitur, in quo studium impenditur linguae latinae, institutionibus generalibus iuris canonici, philosophiae (anthropologiae philosophicae, metaphysicae, ethicae) necnon theologiae (introductioni in Sacram Scripturam, theologiae fundamentali: in qua comprehenduntur divina revelatio eiusdemque transmissio et credibilitas, theologia trinitaria, christologia, tractatus de gratia; peculiari autem modo ecclesiologia, theologia sacramentalis generalis et specialis, theologia moralis fundamentalis et specialis), quae suapte natura ad studentium iuridicam formationem requiruntur; iisdem adduntur institutiones ex scientiis anthropologicis cum scientia iuridica connexis.

3. Secundus cyclus, ad Licentiae gradum consequendum, per triennium seu per sex semestria protrahitur, in quo studium altius non solum in universum Codicem Iuris Canonici necnon in institutiones Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium impenditur una cum disciplinis connexis, scilicet lingua latina, philosophia et theologia iuris, institutionibus iuris Romani, institutionibus iuris civilis, historia iuris canonici, iure publico ecclesiastico, sed etiam, ad normam Ordinationum, in historiam et institutiones iuris franciscalis. Praetera exercitationes praxis canonicae explendae sunt. Deinde requiritur dissertatio scientifice elaborata sub ductu alicuius Professoris. Secundus cyclus concluditur examine de universo Codice, coram collegio Professorum Codicis Iuris Canonici actu docentium.

4. Tertius cyclus, ad Doctoratus gradum consequendum, saltem per annum seu per duo semestria protrahitur, in quo iuridica formatio perficitur et dissertatio doctoralis elaboratur, additis Latinitate canonica atque disciplinis ad praxim iuridicam attinentibus, sive de iure universali, ut cursus specializationis apud Congregationes Romanas, sive de iure proprio franciscali.

TITULUS TERTIUS  
DE FACULTATE PHILOSOPHIAE

*Art. 55 - Finis Facultatis*

1. Facultas Philosophiae hos fines sibi assequendos proponit:

a) studium ac instructionem scientificam de diversis philosophiae disciplinis et de historia philosophiae provehere, consideratis imprimis variis nostri temporis systematibus, atque attento “patrimonio philosophico perenniter valido”, speciali habita ratione de doctrina magistrorum Scholae Franciscalis, quin negligatur recentium scientiarum progressus;

b) scientificam ac systematicam franciscalis cogitationis philosophicae cognitionem praebere, sedulo perpensis existentialibus eiusdem doctrinae categoriis, quo aptius franciscalis visio unitaria de Deo, de homine et de mundo praestetur velut responsio ad nostrae aetatis mundum culturalem;

c) studentes edocere altiorem investigationem methodo scientifica perficiendam, cuius ope idonei fiant ad munus docendi necnon ad alias operas in provincia intellectus adimplendas; studentes quoque efformare quo melius christianam cogitationem fovere atque dialogum inter coevum hominem et propriam progredientis aetatis culturam inire queant;

d) dialogum inire inter ipsamet varia systemata philosophica necnon inter religionem et hodiernae aetatis culturales inclinationes.

2. Ad hunc multiplicem finem assequendum Facultas Philosophiae magni facit rationem franciscalem elaborandi doctrinam philosophicam.

*Art. 56 - Regimen Facultatis*

Facultas Philosophiae ad normam art. 14 regitur.

*Art. 57 - Professorum numerus*

In Facultate Philosophiae sint professores stabiles et adiuncti numero congruo.

*Art. 58 - Condiciones admissionis*

Admissio ad cyclos in Facultate Philosophiae ad normam artt. 15, 1; 27, 1, et 28 perficitur.

*Art. 59 - Curriculum studiorum*

In Facultate Philosophiae cursus studiorum ad normam art. 34, 1, per tres cyclos distribuuntur, et suo quisque cyclus gradu academico ad normam art. 38 concluditur.

## Art. 60 - *Primus cyclus seu ad Baccalaureatum*

1. Cyclus ad Baccalaureatum studentibus fundamentalem et organicam cognitionem de doctrinis et historia philosophiae, peculiari attentione habita ad elementa patrimonii philosophici christiani et franciscalis, praebet, eosque ad methodum scientiae investigationis introducit<sup>18</sup>.

2. Curriculum primi cycli per biennium seu per quattuor semestria distribuitur et disciplinas obligatorias et auxiliares complectitur, ad normam legum aliarumque normarum a Sede Apostolica editarum atque iuxta programmata a Consilio Facultatis approbata.

a) Disciplinae principales sunt: introductio in philosophiam, logica, philosophia cognitionis, metaphysica, philosophia hominis, philosophia naturae, theologia naturalis, philosophia moralis et historia philosophiae.

b) Disciplinae auxiliares etiam habentur inter scientias humanas quae studium philosophiae adiuvant, necnon seminaria et lectionum cursus optionales.

3. Primus cyclus, examine comprehensivo ad normam art. 40, 2 superato, collatione gradus Baccalaureatus concluditur.

## Art. 61 - *Secundus cyclus seu ad Licentiam*

1. Cyclus ad Licentiam cum Specializatione "historico-theoretica" duobus annis seu quattuor semestribus perficitur.

2. Curriculum studiorum secundi cycli ducit ad specializationem in philosophia sive theoretice sive historice considerata, speciali ratione habita de doctrina Magistrorum Scholae Franciscanae. Praeterea lectionum cursus optionales et seminaria offeruntur secundum diversas disciplinas philosophicas atque disciplinas auxiliares iuxta programma singulis annis peractum.

3. Conficienda etiam est dissertatio philosophica sub directione alicuius Professoris ipsius Facultatis secundum methodum scientifico-philosophicam, et ad capacitatem investigationis promovendam iudicium criticum foveatur.

4. Curriculum secundi cycli, experimentis superatis, ad normam art. 40, 3 et Ordinationum, gradu Licentiae in Philosophia cum Specializatione "historico-theoretica" concluditur.

## Art. 62 - *Tertius cyclus seu ad Doctoratum*

1. Cyclus ad Doctoratum saltem per unum annum ordinarium protrahitur et ad profundiore scientificam formationem philosophicam studentium, praesertim doctoralis dissertationis elaboratione, tendit, ad normam art. 34, 1, c.

2. Tertius cyclus, ad normam art. 40, 4, consecutione Doctoratus concluditur.

---

<sup>18</sup> Cf. CONCILIIUM OECUMENICUM VATICANUM II, Decretum *Optatum totius* de institutione sacerdotali, n. 15; IDEM, Declaratio *Gravissimum educationis* de educatione christiana, n. 10; IOANNES PAULUS PP. II, Constitutio apostolica *Sapientia christiana* de studiorum Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis, art. 81, a.



# INDEX RERUM

	<i>pag.</i>
Pars I. <b>Statuta generalia</b> .....	7
<i>Titulus primus.</i> De Universitatis natura et fine .....	7
<i>Titulus secundus.</i> De communitate academica eiusque regimine	11
<i>Titulus tertius.</i> De Universitatis docentibus .....	17
<i>Titulus quartus.</i> De studentibus .....	22
<i>Titulus quintus.</i> De officialibus et administris .....	25
<i>Titulus sextus.</i> De studiorum ratione.....	26
<i>Titulus septimus.</i> De gradibus academicis.....	29
Pars II. <b>Statuta particularia</b> .....	31
<i>Titulus primus.</i> De Facultate Theologiae .....	31
<i>Titulus secundus.</i> De Facultate Iuris Canonici .....	34
<i>Titulus tertius.</i> De Facultate Philosophiae .....	36

*Finito di stampare  
nel mese di Marzo dell'anno 2009  
dalla Tipolitografia Giammarioli  
via Enrico Fermi 10 - Frascati (Roma)*